LITHOPOLEMOS

SEU

HISTORIOLA ABORTUS COMMENTARIORUM

IN MONUMENTA LITERATA

MUSEI BORBONICI

RAYM. GUARINI

PANORMI

1824

EX TYPOGRAPHIA SOLLI

ESTRAT. DAL FASC. XXI. DEL GIORN. LETT. DI SICILIA

AUGUSTINO GALLO

RAYMUNDUS ANG. F. GUARINIUS

S. P.

Quod exteri homines docti non pauci, ut ipse significas, mi Galle, vir clarissime, amicorum inter paucos optime, quotidie abs te quaerunt, flagitantque, ecquando demum publicae lucis usuram sint adeptura promissa dudum a nobis Musei Borbonici Monumenta literata *suis cum Commentariolis; id vero, ut fateamur ingenue, animum nostrum acriter pupugit. Cum enim, temporum invidia, eo deducta res sit, ut opus iamdiu interpellatum spes nulla affulgeat, fore olim de tenebris emersurum; metus continuo incessit, ut abs ignaris, invidisve culpa haec in nos transferatur. Quam profecto iniuriam aequo animo parati essemus tolerare, si eam unius ingenii, viriumque imbecillitati tribuendam praevideremus. Verum enimvero ea est hominum natura, ut verendum valde sit, plerosque id fidei magis, voluntatisque vitio daturos esse, quibus utrisque nihil prius sanctiusque futurum nobis unquam esse, iam ab unguiculis ipsis praestituimus. Visum idcirco est, rem omnem sine fuco, et fraude ἱςορικῶς expressam ad Te mittere, tuoque arbitratui permittere, ea ratione inductis, ut omnia et singula hoc in negotio edoctus, iis sine labore postlac facias satis, qui tecum de nobis iure meritoque expostulant. Vale.*

LITHOPOLEMOS

Nota loquar, quaeque ipse miserrima passus.

Facta, moresque nostros tanti non esse arbitramur, ut posteris per nosmet, aliosve, tradantur. Partem illorum quampiam haud praetermittendam tamen idcirco duximus, quod Historiae literariae in usu esse aliquando possit. Quod praeconceptum sine fraude, utinam exequi liceat sine invidia!

I.

Anno aetatis nostrae tertio ultra quinquagesimum, eodemque aerae vulgaris 1818, adlectis Academiae Herculanensis adnumerari nos contigit per eos, quorum id in arbitrio fuerat; et quo gratia maior, nobis omnino ignaris. Statim, pro honore, gratia, etsi non par, quam licuit tamen, relata. Commentariola, quinque in τά κειμήλια nonnulla pretii quantivis, de museo Borbonico selecta, elucubrata per nos, societatisque iudicio, et voluntati ultro permissa. De quibus ut in acta referrentur, plenis iam tum studiis certatum, sed quo id minus e sententia cesserit, haud pigebit memorare, ut quibus initiis, qualive arte, quadriennali operi exitium irrepserit, noscatur.

II.

Societati nostrae praeerat tunc temporis, qui nunc eidem praeest, V. C. Carolus Rosinius, quem honoris caussa nominatum nunc, nominandunque deinde volumus. Initio ille nos benigne, comiterque, ratus ad servitium fortasse comparatos, quos obsequio pronos intellexerat. Cum ecce e recula

una, alteraque commentariorum nostrorum piaculum de repente nullis exhinc hostiis expiandum.

In Tabulae aeneae Oppidensi parte una, quam vir doctus *Juramenti Tabulam* dixerat, ipsi *Plebiscitum* latere ostendimus *de re vestiaria*, orbi literato hactenus inauditum: et partem aversam Tabulae eiusdem, quam vir idem laudatissimus, *Volscentem* olim putaverat, *Lucano* nos potius decurrere idiomate primi contendimus (a). Neutra in re, ne quis offensioni locus esset, Viri iniecta mentio, quem alias, ut sese occasio dederat, numquam sine laudis officio incedere iusseramus.

Ipsi interim nullius nobismet noxae conscii, hominem colere, Societatis Praesidi adsurgere, proque debito obsequi. Verum experientia compertum, qui dignitate aliis praestant, hos nullarum fere iniuriarum ulciscendarum appetentiores, quamquas ipsi fecere, ut ulciscendo, tulisse se, non intulisse videantur. Nam adduci ille se numquam posthac passus est, ut Commentariis nostris locus esset in actis, quorum implendo volumini peropportuna, viri in primis integerrimi Caietani Carcanii iudicio, censebantur; et in plerisque, quae nos attinerent, suspensa semper, et obscura Praesidis verba, interdum etiam infensae voluntatis signa minime ambigua. Unde consilium denique initum Commentaria typis, impendio nostro, evulgandi, quod effectum, inclinante iam anno 1819.

III.

Anno proxime insequente, actum, ut de *Ad-*

(a) *In veter. monum. Commentar.* I. IV. et V.

lectorum censu in xxviralem Societatis eiusdem transferremur, quod omnium fere suffragiis impetratum. Beneficio tali permoti, quam ante Societatem impense adeo colueramus, ut numquam desiderari nos in ea pateremur, adhuc impensius colere instituimus; studiique, et assiduitatis nostrae vel fructum illum optatissimum percepimus, ut qui eruditione, ingenioque impares omnibus, labore tamen, patientiaque anteferremur universis, nec falli eos, qui tam honeste de nobis sentirent, dudum voluimus, audendo aliquid nostrae etiam, qua famae, qua valetudinis periculo.

IV.

Lapidum, quos vocant, *literatorum*, ingens in Regio Museo moles prostabat. Alii passim ob oculos sine cura, ordineve ullo positi: pars longe maxima in Hypogaeis acervatim latitabat. In hos continuo, vetere cupidine, adiectus animus; eaque de re et serio, et saepe ad Conventum per nos relatum. Initio obtendere Praeses, haec nihil ad nos, quibus rerum Pompeianarum, Herculanensiumque cura praecipua esset demandata. Sed importunitate demum nostra, suique pudore, quod animi ingenui indicium esse poterat, victus, palam fateri: datum aliquot ante annos negotium septem e XXviris nostris Marmora Musei universa et in suas quaeque Classes digerendi, et notulis porro illustrata, luci literariae committendi. Sed quo minus consilium tam salubre profecisset, unum obstitisse, obstareque adhucdum VIIviris doctissimis: *marmorum* videlicet *lectionem adcuratam*, *cui adquiescere tuto viris liceret antiquitatis studiosis*.

V.

Atqui tanto profecto oneri, eoque amplius, suffecturi VIIviri nostri fuissent, si cuique, pro voluntate, tempus marmora per semet adeundi, et viritim pro parte sua exscribendi, quod in re epigraphica praecipuum. Nam quanti in rebus ejusmodi ἡ αὐτοψία sit hominum vetustatis callentium ad fidem conciliandam, praecipue vero ad interpretandum, superfluum est commemorare. Compertum etenim eruditis, suo cuique, vel alieno experimento, ex vocula interdum una, literulave, quae contra τοῦ ἐκτύπου fidem irrepserit, concidisse saepe numero interpretamentorum moles ingentes labili superstructas fundamento: eosque propterea, qui veterum monumentis insudant illustrandis, priusquam de illorum sibi lectione constet, illorum similes extare, qui viae se dant sine viatico.

VI.

Sed fato rei epigraphicae malo, nulli VIIrum nostrorum tantum otii a rebus suis, et si quis etiam vacuus, eccui tantum animorum, ut laborem adeo improbum, omniumque molestissimum, in se, vel pro parte quisque sua, reciperet! Praeter fragmentorum acervum immanem, marmora integra, aut fere, generis cujuscumque ultra MCCCC numero excurrunt, in iisque bene multa, partim mole, partim literarum naufragio, partim utroque, tantae difficultatis, ut accurata vel unius descriptio integros saepe menses nobis constiterit: Res idcirco omnibus visa, non honestorum hominum oculis, sed gerulorum humeris tractanda, si geruli tanti habeantur. Quae hominum vilissimo-

rum denominatio per jocum nobis indita, cum jam in marmoribus exscribendis essemus, in ludibrium deinde, postremo in poenam, sine criminis lucro, cessit.

Curatum propterea per VIIviros ante fuerat, ut Musei Lapides per τȣς ὑπογραφεις exciperentur, viros fortasse bonos in caeteris, verum ad id certe muneris, quo jussi defungi fuerant, parum idoneos. Ex quo duplex malum consecutum: alterum, quod marmora exscripta satis imminuta numero, prae exscribendis, haberentur; alterum longe gravius: quod marmora pleraque descripta a τῶν ἀρχετυπων fide longe aberrarent. Quod vitium utrumque cum facili negotio suboluisset viris prudentissimis, suspensos hactenus tenuerat, admonueratque, ut ne operi per imprudentiam manum adhiberent, antequam de lectionis fide constaret.

VII.

Ipsi nos, ut operi universo impares, ita parti fortasse cuipiam uni, alterive, pares quo quo pacto sentiebamus, quod utrum ex vero, aliorum esto judicium. Cajetanum itaque Carcanium, e VIIviris cum, cui sepulcralium sparta obvenerat, amice convenimus: hominemque, quod, malo rei literatae, luminibus recens orbatus, penso suo absolvendo non erat, ut in nos transferret, precati, sine mora impetravimus. Transmissa illico ad nos funebrium titulorum moles minime contemnenda, sed mendis nihilo minus scatens foedissimis, utpote quae de τοις ἐκτύποις excepta per homines imperitos, de quibus ante memoravimus. Itum ea de caussa propere ad Marmora ipsa τὰ Musei αὐτογραφα: quaeque oneris nostri erant, ea per nos

excussa diligenter, et descripta universa, qua potuimus fide, sollertiaque majore. Praebita deinde academiae laborum specimina nonnulla, eaque non sine gratiarum actione, laudumque munere accepta, et auxere animos, et currentibus, ut ajunt, calcaria addidere.

Neque eo loci res stetit. VIIvirum; quibus jam olim id oneris impositum, uno ore conclamatum, ut marmora jam nunc Musei universa describenda, illustrandaque in nos reciperemus; quibus addita aera omnia literata, suadente in primis Francisco Carellio, V. C. et a Societatis secretis. Diu per nos repugnatum, et frustra. Ut enim fateamur, quod res est, praeter incensissimam nostrum in res huiusmodi voluntatem, pudori denique fuit, collegarum amantissimorum qua precibus, qua hortamentis in longius obsistere.

VIII.

Post haec marmoribus describendis annos fere quatuor insudatum: primo in regiis Hypogaeis; sub dio deinceps, quo illa devehi curatum fuerat; matutinis, meridianis, vespertinis horis; per aestum, et pluvias, temporumque injurias omnes. Facti testes non uni cives, sed externarum quoque gentium viri docti complures eo delati, ut res nostras, quoad liceret, de facie cognoscerent; qui vel nostro exemplo, etsi omnium obscurissimo, addiscere potuerunt, apud nos demum haud ingenia literis, voluntatemque, sed praesidia ingeniis, voluntatique desiderari: mirandumque, si contra adversa omnia minus improspere hactenus literis per nos consultum. Nec superbiae, sed fatiscenti animo, prae labore, dandum epigramma hoc quale-

cunque nostrum per indignationem fere ex tempore fusum.

Ut taceant Cives, tantum potuisse laborum
Unum humeris hominem sustinuisse suis;
Clamabunt Lapides, aetas clamabit et omnis,
Si modo non aetas omnis erit lapidum.

Sed redeundum eo, quo rei nostrae literariae fatum deflectere compulit tantisper.

IX.

Quod Lapidum diffractorum frusta contigerat longe plurima hac illac improbissimo labore collecta, collataque invicem ita coagmentare, ut integram, aut fere τῶν 'εκτύπων faciem referrent; haec ne dilapsa iterum curas nostras frustrarentur, solide inasserari placuit, ut cum caeteris deinde sui generis eo in Musei loco palam collocarentur (quod Veronae primum a clarissimo Maffeio factum) qui opportunior videretur. Quod consilium utrumque Societati universae alacri animo probatum, ne suo vacaret effectu, accuratum strenue est apud Regem nostrum munificentissimum a viro excellentissimo, et a sanctioribus Domus Augustae consiliis, Hieronymo Ruffo, Marchione. Et quando ad virum talem deflexit, quo nescio fato, oratio, ne ingrati prorsus videamur, de prolixa ejus in nos voluntate, deque memori invicem nostri in ipsum animo, testimonium publice dicendum. Cujus nominis famae hoc nunc per nos laudis auctarium qualecunque esto, quod qui ante ad studia haec sat incitati per nosmet eramus, agnita postmodum illius voluntate, penitus exarsimus. Honos adeo alit ingenia, sollertiamque acuit!

X.

Marmoribus inter haec describendis, illustrandisque vacabatur sine interruptione, pensique nostri fila ad finem propediem festinabant. Nec tamen, quod moris, institutique erat, data umquam copia elucubrationes nostras cum collegis coram communicandi, Praeside variis artibus rem in longum trahente, et si quando de ea tractari fuerat ante constitutum, sermonem, curasque callide ad alia revocante. Quod jam tum, nî mens laeva fuisset, omini esse poterat, quo res denique esset eruptura. Sed *sua quemque fata trahunt*. An magis suum quisque sibi fatum per studiorum imprudentiam imponit?

Jam Praeses, nacta occasione, quae aucupantem raro deficit, palam in consessu nil tale metuentes ex improviso urgere audacter ut quae in musei marmora elucubrati eramus, ea universa VIIviris resignaremus. Consilium homini erat, ut nostra omnia de jure nostro deturbata, Societatis nomine praetexto, in alienum et jus, et nomen penitus transirent. Id vero non inurbanum modo, sed contra fidem, pactaque conventa videri universis. Nam VIIviri, Praeside consentiente, jam diu in hoc de jure suo non tantum remiserant, sed ultro etiam cesserant omnino, marmorumque describendorum una, ac illustrandorum onus omne in nos transtulerant, Societate plaudente, et hortante universa. Quamobrem, etsi intra verecundiae fines, repugnatum per nos acriter, intrepideque, repositumque; qui nihil a VIIviris, aut a Societate accepissemus, nihil alterutri reddere, oportere. Sed intercedente demum V. C. Francisco Carellio, lis ea conditione transacta, ut opus

quidem per nos, ex condicto, incoeptum a nobis item absolveretur, censoribus deinde de more instituto tradendum, qui de eo et judicarent; et ad Societatem porro, jure suo, referrent. Acceptà utrinque conditio: partes discedunt.

XI.

Eo loco res erant, cum mense Quinctili anni 1823 palam a Praeside de opere praelo committendo verba facta, et ipsi coram, ut manuscripta ad id proferremus, ex officio rogati. Tum vero nos callide; utpote quibus non uno experimento compertum saepius, nihil satis in verbis fidum; et de integro ne opere agatur, rogamus, an de operis tantum parte una, alterave, quam si ita videretur, decerneret, et sine ambage coram denuntiaret. De integro, ille ait, rem esse; et pro circumstantia, benigne satis. Nos ex adverso: undenam initium ducere, esset in animo? *A sacris*, inquit Praeses prudentissimus, quandoquidem in talibus sic usu receptum. Recte id quidem, nos. Verum inter haec, subjicimus, Pompeiorum occurrunt *Sacra* nonnulla propria, de quibus actum per nos nuper dissertatione peculiari, de qua retulerat jam magnifice ad Societatem, jure censorio, vir gravissimus, Cajetanus, Paschalis filius, Carcanius. Ecquid, inquimus, de his *Pompeiorum Sacris* sibi faciundum videretur? Ab his nempe *Sacris* operi initium faciundum, Praeses comiter ait. Quid plura?

τὸν ἀυτόγραφον nostrum *Sacrorum* hujusmodi cum parte *Sacrorum* communium jussi ad regios typos transmittimus, brevique operae ad nonum usque folium procedunt: quae in unum consarcinata,

ne de recepto more recederemus, Praesidi coram sistimus, enixe, amiceque precati, ut si quid vacui a curis, oculos in ea serio conjiceret, et si quid minus probatum, libere deleret, emendaretve, vel certe patienter commonefaceret. Expectatum diu, frustraque. Morae tandem pertaesi, typografo acrius in dies instante, ipsi per nos Praesidem adimus, non sine mali suspicione aliqua, vel magis praesensione certa. Ecquid rei moram faciat, modeste sciscitamur. Tum ille, detracta persona, et errores, nescio quos, caussatus, non privati juris, intonuit, sed Societatis universae opus esse oportere. Nos ad haec paucis: si quid in opere peccatum, adhuc poenitentiae locum fore: ad Societatis jura, dignitatemque quod pertineret, idcirco auctoris nomen operi minimo praefixum, ne quid inde fraudis illi contingeret.

XII.

Rem omnem penitus tandem, ut erat, intelleximus. Quippe qui ad id usque temporis praesumpseramus animo semper, Praesidem nostrum fore olim, ut emolliretur, non tam obsequio nostro, patientiaque delinitus, quam rei literarie bono permotus, quod ipsi qualecunque procuraturi hoc nostro labore fuissemus, non sine sui, Societatisque universae dignitate aliqua, ac splendore. Sed pronius longe multo, vota concipere, quam exsolvere. Ergo haud mora, recta ad regium τό τυπογραφεῖον pergimus, ἀυτόγραφον nostrum, sine ullius injuria repetituri. Indignum quippe visum, invidiam pro gratia, maleficium pro labore reddi.

Huc delatis res adhuc indignior occurrit, de qua nec suspicari licebat. Renuntiatum scilicet ab

eo, qui regiis praeerat typis, rescripto Praesidis interdictum sibi, ut in opere cudendo opera collocaretur. Et haec ille trepidans, nolentique similis, ut collegam de recenti, veterem amicum facile agnosceres, subrisimus ad haec, utpote quibus jamdiu insederat animo, de tantis ambagibus, si qua honesto viro digna rima patuisset, pedem retrahere; et si quid temporis, aut voluntatis reliquum, seorsum id ab aliorum, non consilio, sed arbitrio, impendere. Quandoquidem notum experientia, magni nominis Societates magnis plerumque obstare incoeptis, cum singuli ad se trahere universa contendant, et nulli sat virium caeteros in officio continendi. Ex quo unius dominatus, vel parum tolerabilis, iis sine cunctatione anteponendus, in quibus, ut boni fortasse plures emineant, minus tamen his auctoritatis ad meliora promovendum, quam uni improbo ad impediendum.

Vultu interim ad amoenitatem composito, nihil optatius, inquimus, accidere nobis potuisse Praesidis interdicto prudentissimo, quandoquidem mora, et tempore nobis opus, quo operis τοῖς σφάλμασι non paucis occurreremus; quibus denique artibus, sine dolo malo, effectum, ut quaterniones nostri sine injuria repetiti, sine suspicione redderentur.

XIII.

Rumor post haec increbuit, nobismet auctoribus, quaterniones omnes nostros Lapidarios rogum ultro conscendisse, exemplo abs Tiberianis usque temporibus inducto, quo viri clariores, insontes iuxta, nocentesque, ad necessariam praecavendam, voluntariam ipsi sibi mortem consciebant. Factum aegre admodum tulere Collegae plerique nostri, nec

verbis, querimoniisque in me parcitum ab illis: quibus omnibus solatio fuit, id fecisse visos, rerum nostrarum desiderio, haud odio nostri. Ea rerum summa. Sed historiae munus praecipuum, res gestas ita memorare, ut illarum causas germanas, latentes potissimum, quae hominum ingenia, voluntatesque, pro sua cujusque indole, regunt, impelluntve, prodat in apricum, quo quisque, tamquam in speculo, contemplari se, cavereque discat. Quid igitur operi nostro naufragium vere fecerit, quid ex adverso praetextum ab eo, cujus evulgari illud haud intererat, fide eadem prosequamur, qua caetera prosecuti hactenus sumus.

XIV.

Monitum operi praefigendum curaveramus, quod tale est.

MONITUM

Musei Borbonici Lapides, aeraque literata universa, magna sui parte delitescentia hactenus, luci literariae reddere, pro modulo nostro, propositum est, quando curam hanc visum fuit nobis demandari. Quo in exequendo proposito, duo praecipue curavimus, in quibus rei epigraphicae vim omnem, summamque repositam; facile consentient viri eruditi.

Monumenta in primis omnia, quae doctorum oculis subjicere est animus, ipsi per nos, qua potuimus, fide, diligentiaque majore, exscripsimus. De Regiis deinde Hypogaeis, quo promiscue ante, acervatimque jacebant, eruta in lucem, iterum iterumque, alienis quoquo oculis adjuti, consului-

mus, ut si in quibus ἡ αὐτόψια fefellisset, opportuna subsidio tali fieret medicina. Qua in re alumnorum nostrorum, Johannis Bursotii, Raphaelisque Salvii opera nos praecipua usos, ingenue profitemur, ut si quando iis, pro merito, referri gratia queat, referatur; sin minus, habeatur, quod impendii minimum est.

Propositum alterum fuit, a prolixioribus quidem commentariis temperare, sed non ita tamen, ut titulorum plerosque in medio derelinqueremus, tamquam nudos capite censos. Quorum hoc aridum prorsus, ac ieiunum; illnd in tanta antiquitatis, qua fruimur, luce supervacaneum videri poterat. Sic ubi res postulare visa est, eo sobriis notulis, aut commentariolis, quam licuit, lucem inferre conati sumus, πλησμονὴ γάρ ἁπάντων; et si quid per alios profecimus, id sine ambitione professi. Ubi τοῖς ἀναγλύφοις ornati lapides occurrunt, suntque hi numero non infrequentes, et opere plerique elegantissimi: ubi literae, sive forma, sive nexu notabiles; haec universa, Principe splendidissimo annuente, ut fideliter expressa per eos, quorum id artis est, suo quaeque loco lectori exhibeantur, sedulo est accuratum. Quorum alterum rei diplomaticae emolumento esse posse, alterum veterum ritibus, moribusque investigandis opportunum, nemo est, quem lateat.

Lapides ipsi literati οἱ αὐτόγραφοι, iam Regis nostri sapientissimi jussu, provisum est, ut certo primum inter sese ordine digesti, eo in musei deinde loco palam collocentur, ubi commodum posthac cuivis, liberumque fiat, eos adire pro libito, legere, conferre, decernere, respondeat, necne, suo quisque τῷ ἐκτύπῳ.

Verum enimvero in marmorum ducendis fami-

liis finibusque, ut ita dicamus, regundis, dividundis, fateri non pudet, et mirifice nos insudasse, et laboris nostri parum hactenus esse contentos. Nihil profecto in speciem pronius, quam vulgatis huc usque, Gruterianis potissime, partitionibus fultos, antiquitatem omnem, veluti in stabulum, nutu cogere. Verum cum ad singularia deventum, quotusquisque ille est, qui non statim sentiat, inscriptionis ejusdem, ut facies non una, ita genus ad diversas inter se classes haud invito posse referri?

Mazochius cum in eo esset, ut aes illud suum duplex Heracleense celebratissimum in censum, pro rei aestimatione, referret, haec habet (1): *Si quaeritur, ad quam monumentorum classem haec duo aera sint referenda respondebitur: iis locum esse posse, sive in classe titulorum Operum publicorum, sive potius in classe Legum, Senatus consultorum, Psephismatum, et caeterorum. Quod si quae collectio scriptorum agrimensoriae artis graecae esset ...... in ea certe haec aera duo agmen ducerent. Nec absurde interim, si quando Geoponicos Scriptores recudi placuerit, initio haec agraria monumenta apparere, conveniens fuerit.*

Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo? Nec fraudi umquam id viro summo siet: sed paullo fidentiores de rei ipsius difficultate monere queat, ut dicto, factove modestiores aliquando in ancipiti se negotio gerant.

Nunc nostrae quod refert, in marmorum familiis ordinandis, quas *Classes* vocant, simplicitati in primis, brevitatique studuimus: singulaque aestimavimus, non ex uno, alterove, quod iis casu

---

(1) Tab. Heracl. pag. 140.

mero, velutique extrinsecus, contingere queat, sed ex ipsamet cujusque re objecta, propositaque fini. Prodibunt itaque.

I. Ex usu recepto, quae vocantur, *Sacra*; eaque nuncupatione *Sacra* ipsa, *Vota*, *Genios*, *Aedes Deorum*, *Aediumque Sacerdotes*, aut *Ministros*, complexi sumus.

II. *Opera Publica*.

III. *Caesarea*, et *Augustaea*.

IV. *Munera et Honores*.

V. *Sepulcralia Ethnicorum*. Horum messis amplissima. Idcirco in varios *manipulos* dispescere constituimus. Quae in una re funeraria sistunt, haec ἁπλῶς *sepulcralia* dicentur, alphabeticoque ordine procedent. Quae *Sacerdotia* attingunt, *Militiam* utramque, *Munera*, *Honores*, *Officia* tum *Communia*, tum *Domus Augustae*, ea ad suum quaeque *Manipulum* referentur.

VI. *Fragmenta* et *Anonima*.

VII. *Aera*.

VIII. Demum *Christiana*.

XV.

Monitum hoc, Operi utique praefigendum, statutum fuerat ad finem usque Operis ejusdem cudendum reservare. Sed collegae nostro, qui regiis typis praeerat, saepiuscule a nobis, jure suo, flagitanti, denique transmissum, ne illius in nos diffidere volontati videremur. At communicatum antea fuerat cum duobus e XXviris nostris, qui Praesidis arte, additi nobis fuerant, ut IIIviri Marmorum finibus dividundis, regundis. Qua in re miranda, nescio, an commendanda, hominis industria. Nam marmorum familias ipsi per nos duxeramus.

sed laboris speciem communicatam idcirco ille voluerat cum viris utique opis alienae minime egentibus, ut meritum hoc nostrum qualecumque in plures diductum, primum attenuaretur, deinde in nihilum prorsus, quod evenit, abiret. Sed haec obiter. Praesidium adversae in nos Praesidis voluntatis pro opere evulgando, qui ipsum audiat, in monito ejusmodi omne stetisse, facile sibi in animum induxerit: verum, qui penitiora hominis consilia teneat quae mox in lucem erunt proditura, rem longe aliter se habere, statim sentiet. Nunc, quae ille in monito sibi incommodare, praetexebat, paucis expedienda.

XVI.

Caussabatur in primis. Opus a nobis ita concinnatum, ut Societatis pars nulla videretur, cujus nomine, auctoritateque illud susceptum profiteri, oportuerat.

Sed latinissimus homo interrogatus, ecquid sibi vellent illa sub ipsum moniti initium praemissa, *quando curam hanc visum fuit, nobis demandari?* ne hiscere quidem est ausus. Ad haec additum: ea prorsus de caussa, ne fraudem videlicet Societati faceremus, tacitum in opere nomen nostrum. Subjectum insuper ad pleniorem hominis refutationem, qui in tota hac contentione nil, nisi Societatis gloriam, dignitatemque prae se ferre, videri volebat: ecquo fato, cujus Societatis honos solide stetisset, si per VIIviros negotium foret confectum, huius nunc fama concideret, quod res omnis per hominem unum esset revera absoluta?

Momorderat praeterea Praesidis animum injecta adolescentium nostrorum mentio, qui in descriptione marmorum impigram nobis, gratuitamque operam navarant.

Indignum enimvero facinus, et quod res est, fateri, et grati animi significationem qualemcunque in adolescetulos tam bene de bono literato publico meritos posteritati tradere! Apage nugas inanitate ipsa inaniores.

Atqui sit etiam in hoc, aliisve, ut lubet, peccatum aliquid, ut liberaliter cum eo agamus. Sed de eo, addidimus, monitos tamen nos ante oportebat, quod enixe ex animo oraveramus: rem vero typographicam, priusquam de nostra constitisset voluntate, sisti pro libedine, turbari, intervertí, ignaris omnibus, sua unius voluntate mera, putaque; id inurbanum sine controversia indignum, iniquum. Hactenus de praetextis interdicti caussis: nunc verae eiusdem, abditaeque rationes ex intimo aperiendae.

XVII.

Musei inter Lapides, Stabianum unam offendimus, illudque mutilum, de genere *Sacrorum*, quod erat hujusmodi:

D. D.
. . . ÆSIVS . DAPHNVS
. . . TAL. NVCERIAE. ET
. . . AEDEM. GENIIS. STABIAE
. . . S. MARMORI . . EXATA . .
. . . . DE . RESTITVIT

Egerat de eo pridem (1) Vir doctus, restitueratque ad hunc modum.

---

(1) *Disseri. Isag.* p. 1. cap. XII. p. 89.

Decr. Decur.
M. Caesius. Daphnus
Duo. Bidental. Nuceriae, et
Vetustam. aedem. Geniis. Stabiar
Labantibus. marmoribus. vexatam
Provide restituit

Res aliter visa nobis, Lapidemque ex integro sic constitueramus.

Decr. Decur.
M. Caesius. Daphnus
Augustal. Nuceriae. et
Stabiar. Aedem. Geniis. Stabiar
Dilapsis. Marmoribus. vexatam
Splendide. restituit

Quod enim ille . . TAL reddiderat BIDENTAL ea fretus ratione, quod nulla cieri e Lexicis possiit vox desinens in TAL, uno excepto *Bidentali*, id ficulneum arguit in primis archaicum το *Kapital*, et alia pluscula de penitiore antiquitate petenda. Porro το DVO praefixa a viro erudito voci eidem, ad spatium implendum, vocis in fine decurtatae certum indicium faciunt. Alioqui, quo inter se conciliabuntur sequestre *Duo*, et *Bidental*? Prodirent magis *duo Bidentalia*.

Caute idcirco vir doctus sic: *Inveniant eruditi vocem aliam desinentem in* TAL, *quae vacuum illud implere queat, et aedificiorum ichnographiae respondeat*. Suppetebant igitur vocum desinentium in TAL exempla:quae sub eadem terminatione *aedificiorum ichnographiae* responderet, invenire Praeses laborabat, idque uno *Bidentali* praestari posse, sibi sumpsit, quod praeter vulgatam acceptionem, ad *aedificii* quoque *genus* referri posse, docuerat

ante Mazochius. Verum nihil Stabiano marmori tristi hocce *Bidentale* opus, quamvis licet ei notionem subjicias. Rectius idcirco . . TAL in AVGVSTAL. recuderis, ut M. Caesius Nuceriae una, ac Stabiarum Augustalitate sit defunctus.

Nec turbare tirones debet *Augustalis* idem *Nuceriae*, *et Stabiarum*, cum Oliverius (1) *Abeienam Balbillam* protulerit *Pisauri*, *et Arimini flaminicam*; et Gruterus (2) *Cantiam Saturninam*, *Arimini*, *et For. Sempronii Sacerdotem*. Quae si parum fortasse potentia ad rem conficiendam videantur, afferantur, licet, de Museo Borbonico *Antonius Trofimus*, *Puteolorum*, *et Neapol. Augustalis*, quem non invitus sequatur de Museo eodem *Publicius Bathyllus*, *Augustalis* item *Puteolis*, *et Venafro*.

XVIII.

Et fando saepe audieramus, et experiendo magis ipsi per nos didiceramus, capitale prorsus, a Praeside nostro vel in recula una levissima dissentire. Eapropter rem hanc omnem, octo, ad summam versibus novem, modestissime comprehensam, antequam prelo committeretur communicandam duximus cum XXvirum nonnullis Societatis nostrae prudentissimis, iisdemque Praesidis inter cariores, quos innominatos relinquimus τῆς οἰκονομίας ἕνεκα qui uno ore, quasi ex condicto, asseverare omnes: *nihil metus*, *periculive a viro*, *quocum alias modestissime actum esset*, *deque eo agi praeterea*, *quod*, *incolumi Societatis dignitate*, *cujus nomine Opus vulgandum*, *omitti non posset*.

---

(1) *Marm. Pisaur.* n. XXVIII. pag. 12.
(2) Pag. 322. n. 2.

Sed res aliter omnino cessit ac sperabamus. Delata siquidem ad Praesidem, casu, an ex composito, quis dixerit? vix primis informata typis nostra marmoris Stabiani restitutio continuo fluctus illos omnes excitavit, unde immensi laboris operi naufragium misere factum. Quod documento sit: in alienis plerosque ratione, ut plurimum, consilioque haud improspere uti: in propriis quemque cupiditati magis, quam rationi, accedere.

XIX.

Quod sequitur, carmen vatis cyclici, Musis dandum paullo iratis, quarum *genus irritabile* ignorat nemo.

CONSUS, ET BASSUS

Dum veterum lapides tractas, Conse, incidis in . . TAL.
Heus bone, quid facias? ecce *Bidental*, ais.
Laxius at paullo spatium . . Medicina parata est;
Namque *Bidental* idem jam facis esse *Duo*.
Monstra refers? an, Conse, facis? Sit denique quodvis,
Curandum citius Bassus utrumque, canit.
Pelle *duo* primum. Hinc apage huc sis triste *Bidental*.
Redde: *Augustalis*. Marmoris haec facies.
Nuceriae, *et* supple *Stabiarum*. Marmoris omnis
Dilapsi species *splendida* sic redeat.
Quippe decet *splendor* Genios, Geniosque colenti
Splendoris primum provida cura siet.
Frontem at, Conse, trahis, mire pallesque, rubesque?
Ast humana pati, poena hominis miseri.

Respice. Phoebus adest: pelluntur nubila caelo
Respice. Doctorum plaudit utrimque chorus.
Delirat Bassus! Conso quae gratia facti?
Qualem vix aetas postera crediderit,
Marmora quot Bassus solidos per quatuor annos
Ornarat, Consus perdere constituit.
Nec minor hinc Conso laus, quam quae contigit illi,
Dianae Templum qui facibus petiit.

XX.

Spes facta post haec, ut privato in otio tutis liceret conquiescere gratiae juxta, invidiaeque immunibus. Cum ecce nova suscepta consilia, novae ex his, eaedemque novissimae turbae consecutae. Propositum, Inscriptiones Musei meras, quales descriptae per nos fuerant, sine Commentario ullo, Societatis nomine, in lucem edi; et ne laboris nostri gratia qualiscunque interiret omnino, fides publice data, sollemnem hujus rei futuram in Historia Actorum Academiae mentionem. Accepta fides, etsi novo huic consilio refragandi causae plures subessent, quas inter haud levis habenda quaternionum nostrorum ante memorata conflagratio. Spes enim adhuc erat, fraudem fide, pervicaciam patientia, vinci posse. Triduo ergo post fidem datam, acceptamque, Classem universam *Sacrorum* tum *Communium*, tum *Pompejorum* peculiarium, foliis viginti propria manu transcriptam, Praesidi palam tradidimus, reliqua porro fide eadem per manus traditurі. Eminebat autem in his Vespasiani cippus sane ingens, ad cujus latera duo insculptae militares Centuriae octo cum Centurionum, militumque nominibus, quibus in describendis, emaculandisque a mendis innumeris, queis foedatae

in Gruteriana Collectione prostant, ad menses plures fuerat per nos insudatum. Haec omnia acta, ad finem vergente mense sextili anni 1823. Quo tempore, valetudinis caussa, necessitas indita nobis in Patriam divertendi aliquantisper, quod effectum sub initium septembris insequentis.

Citra mensem alterum protracta ibi mora, non sine marmorum cura, quae reliqua describenda, tradendaque forent. At ecce vix reversis denuntiatum per amicos, Lapidum transcribendorum provinciam, Praesidis arbitrio, absentibus nobis, demandatam omnem hominibus, nescio quos, qui infra menses duos, Pyrrhae miraculo renovato, opus integrum sic absolvissent, ut opera nostra nil ultra opus esset. Pro beneficio novo, et novae Praesidi gratiae habitae, quando nec agere, nec referre, datum.

XXI.

Hic historiolae finis, a qua foret libenter temperatum, si operis intercepti caussae ita internosci valuissent, ut coepti famam vulgari contigerat. Neque porro novi laboris hujus nos poeniteat, si illum inde fructum ceperimus, ut obtrectare desinant externi homines ingeniis nostris, quae draconi amant aequiparare thesauro incubanti, quo, cum non utatur ipse, nec uti alios patitur. Quorumpiam id enimvero e nostris, non omnium, vitium; cui fortasse venia ex eo danda, quod Principatus avidi in orbe literato, literarum societatem, consortiumque injuriam sibi arbitrantur.

QVEI.

NEI

VAD

EVM. MAGISTR.HV

TRA. COMITIVM. D

EAMQVE. OB. R.

SCITO. CAVERI. OPORTV


SERITVE.

DEM. ADS


CIT TRAHITOR.

- - - - - - - - - POPVL. IVRE ROGAVIT. POPVLVSQ. IVRE. SCIVIT. IN. FORO. PRO. ROSTRIS. A. D. . . . TRIBVS. PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV
QVEI. CEIVIS. ROMANVS. EQVES. SENATORVE. IN POPLICO. IOVDICIO. NESEI PRAETEXTAM. SOLEASVE. HABENTEM. INCERITO
NEIVE. DIC. COS. PRAET. AEDIL. Q. NEIVE QVIS MAG. TESTVMONIVM. POPLICE. EIDEM. SINITO. DENONTIARE
VADEM. NEIVE. POSCITO. NEIVE. DATO. NEIVE. IS. IN. POPLICO. LVVCI. PRAETEXTAM. NEIVE. SOLEAS. HABETO. NEIVE. QVIS.
EVM. MAGISTRATVS. SENATV. ADESE. SINITO. QVEI. QVOMQVE. COMITIA. CONCILIVMVE. HABEBIT. EVM. SVFRAGIVM. FERRE. NEI SINITO. EX
TRA. COMITIVM. DEICIEI. CONCILIVMVE.
EAMQVE. OB. REM. SEI. QVEI. CEIVIS. LEGE. PLEBEIVE. SCITO. FACTVS. ERIT. SENATORVE. FECERIT. GESSERITVE. QVO. EX. HACE. LEGE. PLEBIVE
SCITO. CAVERI. OPORTVERAT. SEI. QVOD. OPORTVERIT. OPORTEBITVE. NON. FECERIT. SCIENS. D. M. SEIVE. ADVORSVS. HANCE. LEGEM. FECERIT. GE
SSERITVE. MVLTAM. AB. EO. QVEI. VOLET. MAGISTRATVS. EXSIGITO. SEI. POSTVLABIT. QVEI. PETET. PR. RECVPERATORES. EI
DEM. ADSIGNATO. PER. EOSQVE. EVM. SEHTA. PARIAT. CONDVMNARI. POPVL. FACITOQVE. IOVDICETVR. SEI. CONDEMNATVS. E
SIT. TRAHITOR. AD. Q. VRBAN. AVT. BONA. EIVS. POPLICE. POSSIDEANTVR. FACITO. SEI. QVIS. MAG. MVLTAM. INROGARE VOLET. DVM
MINOSVE. PARTIS. FAMILIAS. TAXSAT. LICETO. EIQ. OMNIVM. RERVM. SIREMPS. LEXS. ESTO. QVASEI. SEI. IS. HAACE. LEGE. PLEBEIVE
SCITO. HORVM. MANCEPS. SIET. CONSTITVIVS.
MAG. QVEI. NVNC. EST. IS. IN. DIEBVS. V. PROXSVMEIS. QVIBVS. QVEIQVE. EORVM. SCIET. H. L. POPOLVM. PLEBEMVE. IOVSISE
DIC. COS. PR. MAG. EQ. CENS. AID. TR. PL. Q. III. VIR. CAP. III. VIR. A. D. A. IOVDEX. EX. H. L. PLEBIVE. SCITO
QVEI. POSTHAC. FACTVS. ERIT. EIS. IN. DIEBVS. V. PROXSVMEIS. QVIBVS. QVISQVE. EORVM. MAG. INPERIVMVE. INIERIT. IOVRANTO. IN. AI
DE CASTORVS. PALAM. LVCI. IN. FORVM. VORSVS. ET. EIDEM. IN. DIEBVS. V. APVD Q. IOVRANTO. PER. IOVEM. DEOSQVE. PENAT.
QVOD OPORTEBIT. FACTVRVM. NEQVE. SESE. ADVORSVM. H. L. FACTVRVM. SCIENTEM D. M. NEQVE. SEESE. FACTVRVM. NEQVE. INTERCESVRVM
SEI. QVEI ... H. L. NON. IOVRAVERIT. IS. MAGISTRATVM. INPERIVMVE. NEI. PETITO. NEIVE. GERITO. NEIVE. HABETO. NEIVE. IN. SENATV. AD
ESET. EVM. QVIS. SINITO. NEIVE. EVM. CENSOR. IN. SENATVM. LEGITO QVEI. EX. H. L. IOVDICAVERIT. IS. FACITO. APVD. Q. VRBAN. QVO
NOMEN. SCRIPTVM. SIET. QVAESTORQVE. EA NOMINA. ACCIPITO. ET. EOS. QVEI. EX. H. L. APVD. SED. IOVRARINT. FACITO IN TABOLEIS. SCRI
BANVR
QVEI. SENTENTIAM. DEIXERIT. POST. HANCE LEGEM. ROGATAM. EIS. IN. DIEBVS. X. PROXSVMEIS. QVIBVS. QVISQ. VNVS. FVERIT
IOVRANTO APVD QVAESTOREM AD AERARIVM PALAM LVCI PER IOVEM DEOSQVE. PENATES. NEQVE. SENTENTIAM. DEI
CTVRVM. NEQVE. SE. ADVORSVM. HANCE. LEGEM. FACTVRVM. ESSE NEQVE. SEESE. QVID. GRATIAE. PRECIBVS. DATVRVM. NEQ. OBREPTVRVM
SVBREPTVRVMVE. SE HOICE. LEGEI. SEIVE. PLEBEIVE SCITO.

G. Mansigli dis. e inc.



NG
DEIVAT
CAS
COMON
NEITVA
PA
DEICVM
DEIVAID
TO·ESTVD
EITVAS.
ZICOLO
MALLO



Gio. Casanova del. Gius. Guerra inc.

20000

2585-008